Sidecki Christoph: Melos Talassii Clariss. novis Coniugibus D. Andr. Cieniowii cum Catharina Schedelia.

MELOS TALASSII,

Clarissimis

Nouis Coniugibus,

D. ANDREÆ



CIENIOWIC,

Cùm

Virgine pudicissima,

CATHARINA

SCHEDELIA,

Consultiss. Viri

D. CHRISTOPHO-

RI SCHEDELII

Ciuis & Consulis Cracou.

FILIA.

A

 M. CHRISTOPHORO SIDECKI

Phil. Doct. Obseruantiæ ergò D. Cq.

IN ARMA
Clarissimi Dñi SPONSI.



Carpio quid tandem insultas fluuialibus vndis?
Et non more tuo lubrica in antra subis?
Iam scio, amore graui spatioso in flumine langues,
Vmbram aliamq; petis solliciti Æthiopis:
Nè dubita stellatus apex, Sydusq; benignum
Quod Vir iste tenet, te benè reficiet.

IN ARMA
Lectiss. VIRGINIS.



Ad fluuium Virgo propera Sponsumq; saluta
Carpio te, patrio flumine tinget amans.
Hanc quoq; quam Phœbus faciem infuscauit amœnam,
Carpio perspicuo fonte lauabit ouans.
Candidiusq; tibi Sydus lucebit amicum,
Hac in aqua feruens ignis amoris inest.

Vir qui eſt paterfamilias, & vxori & liberis, velut ingenuis imperat, non eodem tamen imperij genere; ſed vxori quidem Politica & Ciuili, liberis verò regia auctoritate.

Ariſt. l. Polit. cap. 8.

CONSVLTISSIMO
ET
VIGILANTISSIMO
Peraugustæ Vrbis Cracouien.
SENATORI
D. CHRISTOPHORO SCHEDELIO
Mæcenatiq; amplissimo.

M. CHRISTOPHORVS SIDECKI S. & P.

FAustissimas inter Hospitum Ciuiumq; amicissimorũ congratulationes, meus etiam tuum inconspectum præceps erupit Talassius. Antiquus ille fuit nuptiarum Deus, qui â raptu Sabinarum nomen & originem accepit. Cur verò hunc potissimum quasi è tenebris in lucem excitaui? cùm præsertim Tua modestissimè & honestissimè educata filia, non ad vllum Romulum delata, sed ad præstantissimũ Iuuenem atq; Sponsum, sit Tua voluntate deducta? Jmpromptu cau-

ſa eſt, antiquitatis (quæ ſæpè in hac ſolennitate nuptiarum retineri ſolet) habui rationem. Iam verò fauet Tuæ Chariſſimæ Filiæ, (quæ ex candido pectore promanauit) Paterna Maternaq́ pietas, religio, fides: fauet Tuum Gentilitium Sydus, dextro hereditarioq́ iure retentum & excitatum: fauent merita, amicitia, & quâ tandem inter Vicinos & Ciues ampliſſimos, clariſſima in vrbe viget non mediocris authoritas. Viue felix & fortunatus, tantiſq́ bonis, bono auſpicio & Sydere cumulatis, ad Pylij ſenis ſæcula ſine aduerſæ fortunæ offenſione, perfruere.



MELOS TALASII

Póèta ad Clariſſimos Hoſpites.

ET meritò: quis enim promptiſsima carmina fauſto
Auocet à thalamo?
Ingeminate Viri plauſum, iuueneſque puellæque,
Et reparate choros,
Sponſus adeſt, Veneriſq; nepos dulciſsimus ille
Ille venuſtus adeſt,
Ille CIENIOVICIVS firmus florentibus annis
Nomine req; potens.
Cui dedit ingenuum genialis ſtella vigorem
Et ſine felle animum.
Mercurius linguam Suadella inſtruxit amæna
Multipliciq; ſono.
Ecce Italus, Gallus, Germanus, Turca, Latinus.
Verba diſerta ſonant;
Verba diſerta ſonant, & ſe mirantut in vno
Ore CIENIOVICIJ.
Cum ſe quiſq; audit, ſuperatur ab ore Polono
Oſq; Sonumq; ſtupet.
Quid quod & hoſpitibus benefacta rependere blandæ
Sueuit amicitiæ.
Quis conuiuia? quiſq; dapes non ære paratas
Eſt numerare potis?
Quo tractanda modò pietas, quâ prouida Conſi
Arte paranda manus?

Ergo

Ergo alacres conuiuæ animis celebrate Hymenæum
Et geminate choros,
Et geminate choros, plausus, risusque, iocosque,
Sed sine felle iocos.
Ferte iterum atq; iterum veteris spumantia Bachi
Munera, vos famuli.
O nemo rigidum hîc imitetur fronte Catonem,
Nec Curium simulet.
Hæc sacra sunt Veneris, sunt hæc dicata proteruis
Festa Cupidinibus:
Qui nitidis circumspectant ad singula ocellis
Mellea verba sonant,
Melleus est ollis vigor, & mens mellea, cuncta
Mellea melle fluunt:
At si quem ex illis nutu violaris acerbo,
Fellea cuncta fluunt.
Felleus est illis animus, male consona verba
Et male sana fides.
Nè iuuenes Venerem, aut Veneris temerate nepotes,
Iuraq; amicitiæ.
Quin potiùs sponso formosam adducite sponsam
Delitium thalami.
Ecce venit, pulchella venit, CATHARINA Virago
Filia SCHEDELII.
Filia SCHEDELII. Nympharum è millibus vna
Conspicienda Craci.
Cuius vt ingenui mores: sic mellea mens est,
Melleus atque vigor.
Ore rosas superare potest, aurumq; capillis
Alba Alabastra manu.

Iam

Iam bone Sponſe tuam nunc contemplare Meliſſam,
Dimidiumq; animæ.
Aſpice lucentùm ſit gratia quanta genarum?
Quantus in ore pudor?
Quantus frontis honos, nitidis quæ vis in ocellis?
Quantaq; ſimplicitas?
Quantus ineſt membris decor omnibus? aut ego fallor?
Aut Venus ipſa venit?
Iuppiter hanc Danaæ præponeret, aureus imber
Non tamen hîc plueret.
Huius in amplexus quàm Daphnes iret Apollo,
Iſta pudica magis.
Viuite felices, fortunatiq; viciſsim
Sponſi in amore pares,
Nomen vt optatum contingat vtriq; parentis
Gentis in auxilium.
Soluite primitias Veneri, ſic dulcia Vobis
Bella mouebit amor.
Bella mouebit amor, ſic ipſe Talaſsio, & ipſa,
Cypria bella mouent.
Bella mouent, occulta mouent, legionibus abſq;.
Dulcia bella mouent:
Dulcia bella mouent, Victrixq; tenella puella
Vir quoq; Victor erit.
Victor erit, ſeu Victus erit, ſeu Victa puella,
Vinci in amore iuuat.
Vinci in amore iuuat, placidum pariterq; laborem,
Suſtinuiſſe iuuat.
Veſter erit labor hic omnis. ſed deſine plura
Deſine Muſa loqui.

e Muſa loqui, ſacer eſt Veneri torus iſte,
Hæc ceciniſſe ſat eſt.

AD AMPLISSIMAM
Clariſsimorum Socerorum Familiam

D.D.
CHRISTOPHORORVM SCHEDELIVM.

GERARDVM PRIAMI.
VILEHELMVM ORSETI.
PHILIPPVM PHORCINI.

ODE
Tric. Tetraſtr.

AT ecce! quæ per, conſociabili
Plauſu, hoſpitales vox reſonat lares!
Ecquis ſerenam promus aulam
Hoſpes habet, comitatu amæno!
Quid ampla fragrant compita floribus!
Quid celſa fumant, atria odoribus!
Cui Sacra Phæbi templa læto,
Vndiq; ſunt operata cantu?
Quid tam decorus nobilium nitor!
Quid tanta feruet pompa Quiritium!
Quid Virginum, quid vota Matrum?
Quid iuuenum chorus, & Virorum?

Agno-

Agnosco Vestrum fædus amabile
Dulces Amici, mellea pectora
Fidæ Socerorum cateruæ
Sarmaticæ decora alta & vrbis.
Te Musa celsum tollit ad æthera
SCHEDELLIANI gloria Syderis
CIENIOVI, vbi ipsa ritè postes
Candidior reserat Vetustas.
Quid candidatos luminis aurei
Promam Hospites? quid magnanimum Patrem
SCHEDELIVM dicam? per orbem
Quem bona fama vehit quadigis!
In vrbe Craci nam quot adoreæ
Fulgent, amico sanguine prouidæ!
En quot Sodalium Talassîus
Nexuit agminibus theatrum!
GERARDE quis vel te PRIAMI optime
Non principem agnoscit generis ducem
Aut prodromum Gentis beatum
Ittalicæ? Solidiq; amoris?
Quis VILLIHELMVM ignorat amabilem
ORSETI amænis ducere lusibus
Diesq; noctesq;, hospitalem
Dum Paphyam puerumq; cantat?
PHILIPPE PHORCINI, tibi quæ DEI
Fauor negauit? Cui Charitum trias
Mores Venustos, Cuî Minerua
Cuî chorus ille Sacer Dearum
Opes perennes, Diuitis ingenî,
Nomen nec vnquam à nomine dissidens

Omen

Omen dederunt? Sic Talaſsîus
Dotibus ingenuis Sodales
Beauit. Ergo Sydere iam bono
Aſcende CIENIOVI in patriam domum,
Solare flammas; Virginis nè
Pectus edant pariter tuumq́;
Solare flammas. Noſtin vt improbæ
Vrant medullas. Tu Genero nouo
Largire quam poſcit Meliſſam
Sit medicina parata vt ægro
SCHEDELLE prudens, atq; ſalubribus
Succurre ſuccis, nec ſine longius
Ardere amantem. Sic nouellum
Cornua cùm nouies reponet
Titana coniunx, Filia pupulum
CIENIOVIANO ſanguine proferet:
Annis grauis ſic ex propage
Ex Genero capies nepotem.
Inaugurati connubialibus
Tædis Amici viuite, viuite,
O iam beati, fæderatæ
Viuite perpetuo cateruæ

hoc post menses



